

mihi multis sæpè pestilens fuit & quos  
 iuuenes virentissimo florentissimóque  
 rerum statu fœlix exitus abstulisset, senes  
 factos, vel fortuna destituit vel affixit, &  
 ignominiosa mors rapuit. Longior vita,  
 credite periculis ac calamitatibus innu-  
 meris exposita est: Etsi formidatam mor-  
 tis horam tantisper distulit pro vsura  
 breuissimi temporis, quot propria in-  
 commoda proferre, quot suorum funera  
 comitari, quot infausta videre coëgit spe-  
 ctacula, vt non ineleganter dixerit Calli-  
 machus: Multo sæpius lachrymasse Pria-  
 mum quam Troilum. Finge autem quod  
 in nullo vidimus, in paucis legimus, vt  
 ad nutum cuncta proueniant, senectus  
 ipsa quot scateret angoribus? Ego quidem  
 nondū expertus sum, an experturus igno-  
 ro, veruntamē hi senes quod à tanto tem-  
 pore cupiebant consecuti, quid aduersus  
 ætatem illam vociferent non intelligo,  
 virilior illorum honestiorque ratio vi-  
 detur, qui honores, qui gloriam aut do-  
 mesticam aut bellicam, qui doctrinam,  
 qui eloquentiam concupiscunt, eadem  
 tamen est insania hæc, quoniam adepros  
 & antiquis temporibus, & nostris sese  
 suasque Respub. propter nescio quem

q. iij.